



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XVII. Qualiter rex abbatem & monachos ab hominum persecutione defendat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

regno deponat & vita. Electum vero a fratribus Christi vicarium dignanter suscipiant, eumque caritatis igne succensi locupletando venerentur: iuuamen, in quantum indiguerit, Christi amore compuncti, alacriter impendant. Mutuo namque confortati iuuamine in nullo a regulæ præceptis discordantes, Domini gregem, non mercenarii, sed pastores fidissimi, luporum rictibus eximentes intrepidi defendant.

XVI.

Qualiter abbas & monachi regem a dæmonum tentatione eripiant.

Abbas autem armis succinctus spiritalibus, monachorum cuneo hincinde vallatus, charismatum cælestium rore perfusus, aereas dæmonum expugnans versutias, regem, omnemque sui regiminis clerum, Christo, cuius virtute dimicant, iuuante, a rabida hostium persecutione inuisibilem solerter spiritus gladio defendens, fidei scuto subtili protegens tutamine, robusto prælians triumpho, miles eripiat imperterritus.

XVII.

Qualiter rex abbatem & monachos ab hominum persecutione defendat.

Rex itidem terrenus cælestis castra regis fortissimo roborans munimine, armis sæcularibus visibiles expugnans aduersarios, hostiumque rabiem sæuientium annihilando deiiciens, Conditoris sui pascua gregemque sollicita inexpugnabilis tueatur custodia, quatenus ad vitæ brauium perueniens æternis tripudians fruatur bonis, quæ nec oculus videre aliquatenus potuit humanus, nec in hominis cor vllatenus ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se.

XVIII.

De monasticæ possessionis libertate.

Sint præfati monasterii rura, omnis monachorum possessio, in rebus magnis vel modicis, internis vel externis, in vrbanis, vel suburbanis, prædiis, campis, pratis, pascuis, filuis, molendinis, riuulorum cursibus, æterna libertate in Christi nomine eiusque genitricis ditata.